

sine vexatione eorum transire non possemus, sed et nostri naucleri
eos timebant et forte plus quam nos. Cumque ad eos venissemus
accurrerunt de tentoriis cum lanceis et armis supra marginem et
funem nostrae navis detraxerunt magna violentia de manibus ser-
vorum nostrorum et traxerunt nos ad se, ita, quod prora erat
litori infixa, alvei enim parietes erant ibi satis alti, quo tamen
non obstante Arabum juvenes deorsum se submiserunt, cadentes
super nos in naviculam, incipientes scrutari sacculos et sportas,
ut tollerent spolia. Quod dum fieret, clamavimus ad seniores Arabes
superius stantes, cur nobis violentiam inferre permetterent, cum
tamen parati essemus pro voto eorum satisfacere. Quo audito
evocaverunt juvenes multis clamoribus, sed eos non adverterunt,
trahentes saccos et sportas nobis renitentibus. Accepto autem animo,
cum desistere noluissent, consurreximus contra eos et cum vio-
lentia eos de navi ejecimus, quod tamen nullatenus facere ausi
fuissemus, si non intellexissemus, seniorum voluntatem ad hoc
accedere; ejecti autem lutum contra nos jactabant et terram, quia
lapides ibi non erant et vix compesciti fuerunt per seniores, ut
nos in pace dimitterent, omnis enim juventus accurrerat et etiam
foeminae clamantes adversus nos, sed et ipsi (b) seniores inter
se contendebant, quia quidam volebant nos absolute spoliare, alii
eis contradicebant. Sedato ergo tumultu dedimus eis unum du-
catum, mulieribus autem et parvulis dedimus paximatos, et hoc
facto libere nos abire fecerunt. Mirabamur autem, quod etiam
in Aegypto, prope regiam urbem, ille populus Arabum violentias
exereret. De illis Arabibus, si legere placet, vide fol. 27. Cum
magna ergo difficultate, invalesceente magis ac magis vento, pro-
cessimus. Porro ipsi nautae acceptis de nave suis amphoris
implebant aqua, dicentes, nos statim in aquam amaricatum
venturos, per commixtionem aquae maris. Hoc audito hausimus
et nos aquam pro poculo nostro, nam aquilonis flatibus aqua maris
per ostia Nili injecta inficit aquas easque amaras reddit per lon-
gum spatium sursum in Aegyptum.

In processu ad alium cuneum Arabum venimus de societate
priorum; his paximatos in littus projecimus et progressi sumus
et in latitudinem maximam venimus, ubi Nilus undique alveos
suos exiens planitem totam aqua operuit, in tanta latitudine, ac
si esset mare, nec finem videre poteramus, nisi quod cumuli et

